



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

Reverendissimo Ac Celsissimo Principi Ac Domino Domino Casparo Sacri  
Romani Imperii Principi Liberae Atqve Imperialis Abbatiae Corbeiensis  
Abbati Etc.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CASPARO

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPI

LIBERAE ATQVE IMPERIALIS

ABBATIAE CORBEIENSIS

ABBATI ETC.

PRINCIPI AC DOMINO

CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIMO AC CELSSIMO

PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO

CASPARO

SACRI ROMANI IMPERII

PRINCIPIS

LIBERAE ACADEMIAE IMPERIALIS

ABBATIAE CORBEIENSIS

ABBATIS ET

PRINCIPIS AC DOMINO

CLEMENTISSIMO



REVERENDISSIME ET CELSISSIME  
PRINCEPS AC DOMINE,  
DOMINE CLEMENTISSIME,



Non e longinquo mihi petendae  
sunt rationes, quibus inductus  
haec *Corbeiensis Historiae* pri-  
mitias REVERENDISSIMAE  
CELSITVDINI TVAE consecrare adgredior.  
Offerro enim TIBI monumentum rerum gesta-

A 2

rum

rum illustre, quod TVVM pridem fuit et quodammodo iam TVVM est, certe ad neminem propius spectat, quam ad TE et TVOS, quibus, locum principali fastigio fulgentem merito TVO tuens, felicissimis praesides auspiciis, ac, adplaudentibus omnibus bonis, vtinam perdiu! porro es clementissime praefuturus. Omnium itaque iudiciorum, in vtramque partem fieri solitorum, ego securus, hanc antiquitatum CELEBRATISSIMAE ABBATIAE TVAE commemorationem ad pedes TVOS obedientissime depono, TVOQVE CELSISSIMO NOMINI, quanta quanta valeo, cura et deuotione, sacram ac dedicatam esse decerno.

Constitueram iam mihi apud animum, annos olim natus duodeuiginti, Historiam Patriae meae, adiuuante Numine aeterno, litteris commendare. Ex illo iam tempore coepi eum circumspicere et colligere adparatum, qui ad argumentum tantae molis iuste persequendum aliquid adiumenti praesidiique adferre videbatur. Causa haec non cadebat in animum, otio immersum, nec minimae industriae erat imago. Sed quamuis nihil sit tam arduum tamque alte a natura constitutum, quin id religiosa in Patriam pietas vincat, et in eorum mente exsuperet, qui cultu et splendore soli natalis nihil sibi secundum Deum vnquam carius esse debere arbitrantur; sensi tamen deinde et admodum

modum intellexi, me, impetu quodam animi correptum, in spatiosissimam conniti siluam, exoptatumque illud opus viribus meis esse sublimius, et ad illud recte perficiendum multa, quae a me desiderabantur, monumenta vetustatis remotissimae exquisitissima requiri.

Vicit autem impedimenta quaecunque et peruicit vtilitas publica. Vicit ardentissimus, qui mihi inerat, de mea posteraque aetate bene merendi animus. Vicit qualiacunque repagula studium mihi inspiratum. Cui consulere cum studerem, accessi perquam reuerenter ad CLEMENTIAM TVAM, ac, industriae meae quantaecunque mihi omnino conscius, a CELSITVDINE TVA eo, quo par erat, obsequio et pietatis cultu petiui et summo opere contendi, vt pro GRATIA TVA indefessa aditum mihi ad locupletissimum TVVM antiquitatum Germanicarum sacrarium benignissime concedere dignareris. Certo enim noueram, me, si per TVAM CLEMENTIAM mihi illud perlustrare et in publicos vsus consulere liceret, sitim meam vberime restinctum iri.

Adnuisti precibus meis haud inuitus, DOMINE. Clementissime aures mihi dedisti, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, simulque id mihi praecepisti,

vt, cum haec prima Historiae lex sit, ne quis quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit, ne qua simultatis, nauiter darem operam, vt semper mihi hanc summi quondam apud Romanos Principis sententiam ante oculos ponerem, animumque, sicuti ab omni fuce et ostentatione, sic ab odio et gratia omni prorsus vacuum ostenderem.

Quid iustius, quid aequius, mihi praecipere valebas? Mandata TVA, OPTIMO PRINCIPE digna, non inuitus hausi. Non grauate eis morem gessi, sed prompte potius et alacriter illis obsecundaui, ratus, nihil vnquam mihi dictum fuisse in aurem et in praescriptum, quod veritati stabiliendae sit accommodatius. Sicuti enim in certissimam spem veniebam, fore, vt celeriter, quod cupiebam, consequerer; ita illa ipsa acroamata publice heic TIBI in memoriam reuocanda esse existimaui, ne quis suspicetur, me ad Patriae Historiam, memoriae litteris prodendam, gratia, spe, pretio, fuce, aut promissis fuisse indictum vel inflammatum.

Quid autem, CELSISSIME PRINCEPS, aeuo nostro diplomatico euenire poterat optabilius! Quid ei poterat obtigisse fortunatius, quam clementissimum TVVM decretum

tum de tot egregiis autographis et litterarum documentis, tanquam publicis et splendidis ECCLESIAE TVAE testimoniis et pignoribus, ex abstruso intimorum penetralium recessu, ubi hucusque ea latuerant abdita, in lucem proferendis?

Quantis itaque TE laudibus, CELSIS- SIME PRINCEPS, non eruditi solum, sed omnes quoque probi ciues ornabunt, et in coelum iustissimis tollent elogiis, quod chartaceas TVAS opes et membranarum delicias, nunquam non avidissime expectatas et votis publicis expetitas, satura, ut ita loquar, lance usus communi foeneraris et clementissime formis publicis describendas praebes. Dum ex his fontibus in posterum uniuersi bibent, dum quisque sibi spolia inde colliget, dum quisque inde ditior euadet, numquam CORBEIA TVA gloriosior, nunquam fuisse celebrior, nunquam potentior et ditior ipsis, quam nunc adparet, videbitur.

Quis enim non admirabitur magnum illum ac paene incredibilem praediorum et bonorum numerum, quibus olim ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Comitibus et Nobilibus Dominis ECCLESIA TVA prae aliis insigniter ornata et cumulata fuit? Ea, in unum collecta, non ad Abbatiam, non ad Episcopatum,



tum, sed ad Archiepiscopatum et Patriarchatum sustinendum videntur fuisse suffectura. Fines enim donationum, in CORBEIAM olim confluentium, per Brabantiam, per Belgium Foederatum, per superioris Rheni Tractus, per Frisiam orientalem, per Westfaliam, Hassiam, Buchoniam, per Saxoniam Superiorem et Inferiorem, per Principatus varios, nominatim Halberstadensem atque Anhaltinum, per Ducatum Magdeburgicum, immo per potentissimas et remotissimas regiones vsque quaque ac longe lateque se olim diffuderunt.

Ad haec ornamenta et praedia tuenda atque custodienda olim ab Imperatoribus multi profecto potentissimi Duces, Principes, ac Comites fuerunt constituti, qui simul cum numerosissima equestri ordinis nobilitate strenue ac fortiter iis conseruandis ac vindicandis inuigilarent.

Vigebat eo tempore in ABBATIAE TVAE sedibus florentissima disciplina. Florebat ibi Academia celebratissima. Adfluebat ea Collegiatis Ecclesiis et Praepositis, Sacrarum virginum Asceteriis et Monachorum Coenobiis, quae maximam partem ac pleno iure ad ECCLESIAM TVAM veluti ad dominam respiciebant. Erant in ea permulti Apostoli, qui, cum alii interea in monasteriis delitescerent, in extremas

tremas oras, septentrionales inprimis, ad exponendum dulcissimum Iesu euangelium et ad hoc passim disseminandum impauidi penetrabant.

Vix enim vllum in orbe fuit Asceterium sacrum, quod plures spectatioresque in christianam Septemtrionis vniuersi conuersionem praecones educauerit, quod plures Iesu legatos ignaris submiserit, quam T V A illustris NOVA CORBEIA.

Horum enim opera et industria effectum est, vt doctrinae Iesu praeconium iuratos rei publicae christianae hostes et tenebricosos satanae satellites regno Christi adiecerit, vniuersum Germaniae Imperium a maximo liberauerit metu et ad tempus praestiterit a barbarorum insultibus satis immune.

Nulli certe hostes magis Europae omni christianae saeculis VIII, IX et X, metuendi erant, quam Populi Septentrionales. Immortali igitur hoc ipso beneficio sibi ABBATIA T V A Imperium Germaniae nostrae olim summopere obstrinxit, et expedita Slauorum, Danorum, Suecorumque ad Iesum adgregatione decus aeternum, gloriamque, omni aere perennior, peperit atque conciliauit.

Nemini igitur id mirum videri potest, si tot Principes ac Nobiles ECCLESIAM TVAM dignam

dignam existimarunt, quam immunitatum priuilegiis iuribusque, praediis, donis, aliisque ornamentis ad cacumen omnino sublimē eueherent, et de ea communiter bene merendi aequē flagrarent mirabili cupiditate.

Verum enim vero quid non longa immittit ac debilitat aetas? Ex tot enim ac tantis ornamentis, quamuis adhuc hodie multa supersint, plurima tamen desiderantur et conspectui scrutantium sese dudum subtraxerunt. Et quidni, originem et fata calamitatis tantae indicare, operae pretium ducerem?

Qui Traditiones has cum aevi consecuti rationibus in contentionem adducere haud grauiabuntur, initia et progressum efflorescentis CORBEIAE haud inuita Minerua discent. Qui Historiam Corbeientem *Traditionibus* adiungere uolent, eis fata reliqua et vicissitudines rerum non latebunt. TVVM est, DOMINE, iubere et statuere, an Historiae illi euulgandae tempus uiresque debeam addicere et consecrare.

Accipe nunc, PRINCEPS CLEMENTISSIME, ea, qua aliorum labores prosequi soles, CLEMENTIA, et fronte serena hanc debitorum meorum syngrapham, aeternum deuotissimae in Patriam pietatis meae et obseruantiae, immo admodum submissae in TE uenerationis, monumentum, et perge, quod Deum ardentissime oro et obsecro, in gloriam atque eruditorem

torum emolumentum viuere, famamque TVAM,  
inter sidera fulgentem, ad seram feliciter trans-  
mittere posteritatem.

Meum est, eam, quam precibus meis, ob-  
seruantia humillima plenis, impertuisti cle-  
mentissime, benignitatem et gratiam immor-  
talem publica hic gratiarum actione et obse-  
quentissima mente admirari, praedicare, et in  
dies monumentis nouis venerari.

Fruere, DOMINE, porro gloria TVA  
et inter eam diutissime sospes versare. Ita enim  
fiet, vt porro de gloriosis pro eorum, qui a TE  
pendent, laboribus, ab homine haud vno sus-  
ceptis, TIBI Patria, vniuersa in primis littera-  
torum respublica, tantis TIBI beneficiis obstri-  
cta et in contemplationem meritorum TVORVM  
defixa, de illustri TVO Patrocinio in posterum  
quoque sibi gratulari queat.

Deus vero ter optimus maximus TE ad  
Principatus TVI florem et ornamentum, ad  
bonarum artium litterarumque ac scientiarum  
decus et praesidium, ad *Illustrissimae Gentis*  
TVAE splendorem, diu diuque inuiolatum et  
incolumem, conseruare dignetur.

Ego vicissim in eo ero totus et adsiduus,  
vt nihil magis curae cordique habeam, quam  
eum, quo me condecorare haud grauatus fui-  
sti, fauorem vbicunq; prosequi ea, qua decet,

pietate et TVI religiosa veneratione. Et quid  
mihi optatius maiusque vlu venire potest, quam  
si gratiae TVAE praestantia, quam oblequen-  
tissimo submississimoque animo TE in pösterum  
oro et exoro, porro subleuare, et firmare  
digneris,

REVERENDISSIME AC CELSISSIME  
PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

REVERENDISSIMAE CELSITVDINIS  
TVAE

Scribebam Evesii  
d. XV. Aprilis  
MDCCLII.

Cultorem et seruum obseruantissime  
obedientissimum,

IOHANNEM FRIDERICVM  
FALKEN.

PRAE-